



Quo vultu fuerit, qua forma SERRIUS, Icon
 Ista refert; animum nulla tabella potest.
 Noveris ast animum, si plura volumina volves,
 Quæ scripsit: calamo pingitur ille suo.
 Cætera quid memorem? frustra est: tibi SERRIUS esse
 Ignotus, toto notus in Orbe, nequit.

Baratti.

HISTORIÆ
 CONGREGATIONUM
 DE AUXILIIS
 DIVINÆ GRATIÆ
 LIBER PRIMUS.

Quo referuntur Controversiæ, in Belgio primum, tum in Hispania habitæ, quæ hisce
 Congregationibus locum dedere, ad annum usque 1597, quo causâ,
 Romam ascita, primo cognita est.

CAPUT PRIMUM.

Societatem suam tenende S. Thomæ doctrinæ lege
 astringit B. Ignatius. Suos ad Concilium Triden-
 tinum missos Theologos Litteris monet, ne quid
 novent. Prudentium de Monte-Major, primum
 Molinijni velitem, Conjura notat Academia Sal-
 manticensis.



Uæ magnis incendiis initia fo-
 lent esse, ut nec primum arde-
 ant, nec humanis oculis statim
 luceant; eadem illa celeberrimis
 de divina Gratia controversiis con-
 tingere; quæ Prædicatorum Ordinem,
 decimo sexto cadente seculo,
 cum Societate commiserunt.

Germanæ S. Thomæ doctrinæ sectator strenuus,
 Christianæque pacis amator Beatissimus vir Ignatius,
 Societatis Pater, si quæ vidit ætate sua
 dissensionum istarum, ac novitarum suboriri femina,
 ea qua potuit pietate, ac religione compressit.
 illo sane digno elogio, quo eum Cardinalis
 Franciscus a Monte, coram Gregorio XV. coronavit,
 dum virtutum, ac miraculorum gesta,
 pro Canonica ejus Apotheosi, referret: *Novus*,
 inquit, *opiniones nunquam admisit, & in Theologia
 Scholastica doctrinam Angelici Doctoris secutus est.*
 Et certe, si Societatis scriptoribus fides, (1) eam
 ille Lutetiæ-Parisiorum apud FF. Prædicatores in
 Collegio Generali S. Jacobi dixerat. Eaque ratione
 subinde factum, ut qui, nascente Societate,
 eidem necdum peractis Theologicis studiis,
 nomen dabant, ad FF. Prædicatorum scholas,
 lectiones Theologicas excepturi, mitterentur: quod
 olim Vallisoleti, atque Abulæ fieri solitum, ipsi-
 met profiterentur. (2) Ita nempe qui Ignatii men-
 Serry Tom. I.

tem, animumque propius ebiberant, se nusquam
 melius instituendos arbitrabantur, quam si eum
 Doctrinæ fontem attingerent, unde Sanctissimus
 Pater hausisset.

Sed nec id fati: sectandæ Thomisticæ doctrinæ
 zelum hæreditarium suis esse voluit, justique
 Vir Dei, sancita lege, quarta Constitutionum
 parte: (3) *In Theologia legatur vetus, & novum
 Testamentum, & doctrina scholastica sancti Thomæ;*
 eique nullo nomine, nullove titulo, lituram ali-
 quam, exceptionemve præfigi passus est, quoad
 vixit. Id vel uno probatissimo exemplo, ex quo
 cætera discere licet, compertum reliquit Mathe-
 jus, (4) ejusdem instituti scriptor non ignobilis.
 Cum enim Martinus Olavius, propositis Romæ
 publicæ disputationi Theſibus Immaculatae
 Conceptionis opinionem inferuisset; eam,
 sua licet in Beatam Virginem inclinante pietate,
 expungi jussit Ignatius, ne Doctoris Angelici
 doctrina peti, ejusque discipuli provocari viderentur.

Non obfuit tamen tantus ille promovendæ, fo-
 vendæque S. Thomæ doctrinæ zelus, quin sua
 etiam ætate eas apud Suos novitates suboriri cer-
 neret, quæ obscura controversiarum istarum pro-
 ludia cæferi merito possunt, quæque, veluti ne-
 glectæ scintillæ, illud tandem in Ecclesia incen-
 dium excitarunt, cui extinguendo celeberrimas
 de Divinis Auxiliis Congregationes Summi Pon-
 tifices indixere.

Fatentem habemus Orlandinum in sua Socie-
 tatis Historia. Is scilicet de nonnullis sermonem
 instituens, qui Calvinianos circa Justificationem
 errores, in sexta Concilii Tridentini sessione,
 liberius oppugnaturi, in extremas veterum hære-
 tiorum partes accedere videbantur, observari,
 Ignatium missos illic Societatis suæ Theologos
 A. litte-

(1) Jac. Perard, tom. 2. de Trop. 55. Item. 2. de S. Ignatio. (2) Masséus l. 1. c. 19. de vita S. Ignatii. Herice ir. 3. disp. 25. c. 2. Paul. Leon. p. 2. n. 77. L. de Ponte in Vita & c. Balib. Alvarez cap. 2. (3) c. 14. (4) Lib. 3. de vita S. Ignatii c. 9.

litteris convenisse, (1) Laynio, Salmeroni, ac Jaso serio commonefactis, ne novam ullam opinionem, firmis licet rationibus nixam, proferrent in medium, que vel ad hereticorum commenta desisteret, vel ad eorum, qui nova seclantur, opinionem videretur accedere; ac quantum ab Ecclesia pars non desineretur alterutra, a probabilissimis etiam rebas assensum cohiberent, & linguam. Hinc etenim viderint aequi rerum assimatores, (quippe nos ad cuiusquam invidiam loqui volumus) num si jam tunc obliquo illas oppugnandi Calvinismi vias iniisse censendi sint, quos paterna illa monitione contineri, retrahique, necesse fuit.

Placuit equidem Orlandino, rem adeo apertam, & ex ipsa rei gestæ narratione sponte consecrariam dissimulare, dum domesticis servandis finibus totus intentus, eam tentatæ novitatis labem in obscuro duntaxat Episcopos iniecit. Verum quod ille studio partium abreptus cate dissimulat, nititurque tegere, sincera fide profiteretur, & in oculis ponit focalis ejus Pallavicinus, (2) dum Laynium, Concilii Tridentini Canonem (quo, liberum arbitrium, motum, & excitatum a Deo, posse dissentire, si velit, sancitum fuit) ita emolliendum judicasse refert, ut hominem communi duntaxat vocationi posse dissentire, sanciretur. Scilicet tacite Laynius feminabat, quod aperte secutus temporibus Societatis Theologi messuerunt: specialibus nempe gratiæ suapte natura efficacis auxiliis dissentiri non posse, deque humani arbitrii libertate actum iri, si iis excitaretur, ac moveretur.

Hoc idem Salmeronem sensisse, produnt Acta ejusdem Concilii manuscripta, (3) in Arce S. Angeli aservata, e quibus plurima in causâ Thomistica defensionem, jubente Paulo V., deservavit Thomas de Lemos anno 1605. Sed & illud observatione dignissimum, quod ibidem in sextæ sessionis volumine scriptum perhibet, iisdem nempe displicuisse Theologis prefati Canonis verba, liberum arbitrium, & motum, & excitatum a Deo: quorum quidem loco (quasi mens sola, non item voluntas humana moveretur a Deo) mentem a Deo motam reponendum judicaverunt; non abique cæterorum stomacho, & iniecia Pelagianismi aculatione. Cum in plena Congregatione proponeretur Patribus Concilii Canon ille quærens: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, motum, & excitatum &c. omnibusque Patribus illa verba placere; P. Laynes o Societate semel, & iterum dixit: Non placet, quod dicitur, Liberum arbitrium, a Deo motum, & excitatum, sed, Mens mota, & excitata ponatur. Quod cum Patribus displicuisset, Episcopus quidam dixit, illam sententiam, quam proponebat Pater Laynes, esse pelagianam; nolentem, Deum agere, & movere hominis arbitrium, seu liberam voluntatem, sed tantum intellectum, & mentem. Idem plane Salmeronem cum Laynio sensisse, fertur pagina 133. eorundem Actorum.

Quocirca Ambrosius Catharinus, liberioris ingenii Theologus, qui ab Augustini doctrina in causa justificationis, prædestinationis, & gratiæ procul abibat, novaque in scholas inferebat hoc de argumento paradoxa, reliquis Theologis inaudita, de Laynio suffragatione sibi plaudit in sua adversus Dominicum Soto Apologia; ubi se illum suæ sententiæ vindicem habere solitum, scribit, in Congressibus Tridenti celebratis; eidemque tenaciter adhaesisse, ait, maxime dum de justificatione questiones moverentur, in quibus illum turpius errasse, notum est. Quæ omnia Er-

rorum, ut vocare libuit, Historiæ nostræ Correctorem delusum evincunt, qui nil novi procusum a suis obtendit; datamque ad illos Ignatii Epistolam paulo ante laudatam, impendentis duntaxat ex pravo quorundam Præsulum exemplo mali antidotum dicitur, non contracti jam mali medicinam.

Fuerunt illa controversiarum de Auxiliis insaufa prænantia, a venerandis Concilii Patribus ægris auribus excepta, quæ ferventissimis monitis amovere fateratur Beatus Ignatius. Sed quid illo ad superos evocato? Sui jam juris facti, quasi excessissent ex æphebis, suo quisque indulsit ingenio. Tenendæ S. Thomæ doctrinæ legem, qua contra novitates omnes vineam suam, sacra veluti sepe, muniverat sanctissimus Pater, demoliri sensim, ac dissipare aggressi sunt: idque non privatim, ac clanculum, sed factio velut agmine, collatisque consiliis. Ea de re statim actum ea in Congregatione, qua ad supremam Societatis præfecturam vocatus Didacus Laynes, communibus votis S. Ignatio suffectus est anno 1558. Illic ad limam vocata tenendæ S. Thomæ doctrinæ lex, speciose interpretationis obtentu concussa est, Accommodatoris, utiliorisque Theologia propediem eandem accepto consilio, quæ solemni Præpositi, ac Theologorum Societatis approbatione prælegenda foret. Ita quippe statutum: (4) In Theologia legatur vetus, & novum Testamentum, & doctrina scholastica D. Thomæ. Prælegatur etiam Magister sententiarum. Sed si videretur temporis decursu alius Auctor studentibus utilis futurus, ut si aliqua Summa, vel liber Theologiae scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior videretur; gravi cum consilio, & rebas diligenter expensis, per viros, qui in universa Societate aptissimi existimantur, cumque Præpositi Generalis approbatione, prælegi poterit.

Hinc, veluti dato signo, orta consensim opinandi licentia. Seu enim accommodatoris Theologiae editione Societatis votis responderet festinarent aliqui, seu novæ scholæ erigendæ Principes, novique Israelis Magistri evadere vellet illi, diligenti emulatione tentatum est. Id mutua gestorum subsecquentium collatione videas. Nova quidem vulgavit Molina anno duntaxat 1588: at Scientiam-mediam, doctrinæ suæ caput, & corpus, annis ante hac tringinta, & mente conceptisse, & in scholasticis disputationibus, sub scientiæ naturalis nomine, se propugnasse, professus est. (5) Quæ duo si conferas, eum ignes conceptisse suos, invenies, anno circiter 1558, quo Generalis Congregationis Decretum emisit illud. Idem in Fonseca notare licet, Prodiit quidem ejus Metaphysica, iisdem novitatibus famosa, anno 1596, verum alta illa Scientiæ-medie mysteria sibi ab annis supra tringinta, revelata gloriatur, (6) sed non ea palam eructare ausum esse, donec a Molina, Suarezii, Vasquezii, Mendosæ præviis revelationibus auctoritatem accepissent. Quæ certe si debite conferas, ad præfata Congregationis vicina tempora revocabis, quibus a male sibi concessis parentibus abortivi fetus opportuno silentio celabantur.

Primus sodalium suorum doctrinam, diuturna illa, tacitaque meditatione concoctam, vulgavit in publicum, ac literario certamini commisit Prudentius de Monte-Major anno 1581, iacta veluti alea probaturus, quam apud viros eruditos fortunam esset habitura. Theses publicæ disputationi dedit Salmantica, quibus tum absoluta Dei erga actus liberos Decreta, tum gratuitam prædestina-

tionem explodebat. Res incommode cessit. Hunc quippe publica disputatione exagitavit Dominicus Bannes, Ordinis Prædicatorum, Primariæ cathedræ moderator; qui etiam non ita post, editis in primam partem D. Thomæ Commentariis, eas nascentis Moliniane scholæ novitates impetit, ac profligavit, tanta tamen animi modestia, ut illos nunquam ex nomine designarit, quorum opiniones rebelebat: factis officio suo consultum putans, si veritatem abque ullius famæ jactura tueretur: Ut facilius corripere præntudo, quod alia occasione inquit Leo Magnus, (1) quas nulla deformasset abjectio.

Hac eadem in gratiæ hostes usum indulgentiæ Divum Augustinum, colligimus ex Lib. de Gestis Pelagii, cap. 22. Saluberrimus sane apud illos agi putabam, si hominum nominibus tacitis, ipsi refutarentur, & redarguerentur errores. Et cap. 23. Nec tamen operi meo, quo eundem librum refelli, Pelagii nomen inserui; facilius me existimans profuturum, si servata amicitia, adhuc ejus verècundia parcerem, cujus litteris jam parcere non deberem.

„Nec solum Ordinis Prædicatorum Theologi, „verum etiam alii gravissimi Salmanticensis Uni- „versitatis Magistri, novam illam doctrinam, „tanquam erroneam, ac de Pelagianorum reli- „quis derivatam, ad sacros fidei Censores dese- „rendam esse, judicant. (2) Quo factum est, „ut S. Inquisitionis Vallisoletanae Judex insignis, „Joannes Aresius, Vir ingenio, litteris, prudentia, & omni virtutis officio præstans, Salmant- „ticam hujus rei inquirendæ, & examinandæ „causa missus sit; qui, diligenti examinae de as- „sertionibus, & assertoribus facta, omnes sacra „Theologiæ Salmanticensis Magistros in unum „congregatos consulit: Qui omnes temeritatis, „& erroris nota prædicant novam in Universi- „tate doctrinam, sub scriptis nominibus, dignam „esse, judicant. Rem totidem omnino verbis referunt Prædicatores in sua contra Molinam Apologia, sacris fidei Quæstoribus Matriri data anno 1595, de qua suo loco multa dicemus. Quod etiam facti publici, non juris controversia sit, in qua fidem viris probis derogare, (quales Prædicatores illos fuisse, certum est) animi effectus partium studio nimis abrepti; suos tamen illi fidei suffragatores habent, omni lectione majores, qui illos ab omni suspitione salstratis absolvent. Theologos Societatis intelligo in libello supplicii, iisdem ipsis fidei Quæstoribus sub idem tempus exhibitio, cujus mentionem iniecit Paulus Leonardus (3) ex eadem gente, Molinæ defensor. Factum agnoscent, nec dissentient; tamen ad læzæ damnationis dedecus abstergendum, hanc non æquitati, sed partim Prædicatorum invidiæ, partim Banneti auctoritati, qua tunc in Academia Salmanticensi pollebat, tribuendam ignuant. Quod an ferendum, probandumque sit, æqui, bonique viderint; solita quippe exceptio est, a miseris obtundi solita, quo causa excidisse pudet, & gravi aliqua Censuræ nota labefactari.

Pauli Leonardus, latam Censuram agnoscentis, verba subijcio, ne nos, sola Prædicatorum fidem nixos, factum protulisse, dicitur Historiæ nostræ Censor in suo scitiorum errorum indiculo. Obijciunt tertio, ait ille 3. par. n. 35. quemdam ex Patribus Societatis olim, dum publicas in Academia Salmanticensi propugnaret Theses de Prædestinationibus æternis, ea docuisse, quæ gravissimis Theologiæ Facultatis Doctoribus summo displicuerant; Nam & censura notantur, & res ad sacros Fidei quæstiones delata est. Igitur antiquum est Salmanti-

Serry Tom. I.

censi Universitati, eorum de Prædestinationibus repudiare opinionem. Respondeo: Dominicus Banneti opera imprimis factum est, ut nonnulli, ab eo officiis decessit, Theoremata Actus (quem vocant Majoris) in celebri Theologorum præfate Universitatis Gymnasio a P. Prudentio de Monte-major anno 1581. propugnata, in his, quæ ad prædestinationes actuum liberorum spectabant, castigatione digna censerent. Erant in hujusmodi condemnationes promptior ætas illa, promptissimus ipse Bannetus.

Severiores in Hispania cognitores experta novitas liberiozem in patriam aufugit. Scientiæ-medie defensionem Ingolstadtii in Bavaria publicis Theibus suscepit Gregorius de Valentia anno 1584. Quo exitu, profusus ignotum; id tamen certum, Sixtum V., ad Pontificiam dignitatem anno sequenti assumptum, ipso Pontificatus exordio, Societatis Præpositis serio præcepisse, ut eam doctrinæ, studiorumque regulam præfigerent, (4) quam Societatis Constitutiones exigebant, ne aut domesticis periculis, aut externis pateret calumnias. Cui sane præceptum delatas, novitatum istarum occasione, quærimonia locum dedisse, facile credit, quisquis paulo attentius gesta contulerit.

CAPUT II.

Studiorum rationem, seu tenendæ doctrinæ Canonem præfigit Claudius Aquaviva Præpositus Societatis, Tenendæ S. Thomæ doctrinæ legem temperat, ac bene reserndit, accommodatoris Theologiæ cupidus.

Interea procrastinante accommodatoris, utiliorisque Theologiae editione, quam se Societas optare significaverat, necessitati consultum voluit Præpositus Generalis, iis in Theologica S. Thomæ Summa notatis, quæ sibi incommoda, & inutilia viderentur. Eaque agendi ratione aperte significavit, non cum fuisse memoratæ Congregationis Decreti sensum, quem Erratorum adnotator comminiscitur; ut nimirum Germanus Divi Thomæ Commentarius eederetur, qui ne latum unguem ab ejus mente descederet; sed contra potius, ut nova commentatione Angelicæ doctrinæ mutaretur. Arduum opus, conspirantibus omnium Nationum selectis Theologis, tentavit P. Claudius Aquaviva anno 1584. Ex Hispania Joannem Azorium, Gasparum Gonzales e Lusitania, Jacobum Tirium e Gallia, ex Austria Petrum Buzæum, Antonium Guisanum e Germania Romam advexit, ut, collatis cum Stephano Tuccio Italo consiliis, librum de ratione studiorum eederent, qui rejiciendarum, tenendarumve S. Thomæ opinionum instar Canonis haberetur. Hos die 8. Decembris 1584., qua Deipare Conceptionis sacra erat, Gregorii XIII. vestigiis stetit Præpositus Generalis, Benedictionem Apostolicam percepturos, ut auspiciato negotium tam operosum inchoarent. Bene illis precatus est Pontifex, quod eos ad reformanda, ut aiebant, Societatis studia convenisse, arbitraretur; sedulitateque, ac celeritate operi adeo salutari ut adhereret, est adhortatus. Neque vero Pontifex solum, sed & Cardinales nonnulli, doctrinæ, & auctoritate præcipui, quos tanta rei certiores fecerant, institutum, ut putabant, studiorum reformationem vehementissime comprobantur. Domicilium peropportunum, & commodum selectis Theologis est attributum, ut, semota turba, in id opus intenderent: hibernis quidem sex mensibus in Penitentiaria S. Petri; æstivis autem caloribus ad S. Andream in Mon-

A 2

(1) Lib. 6. n. 26. (2) In hist. Conc. Trid. l. 8. cap. 13. n. 9. (3) In volum. 6. sess. pag. 133. (4) In Decl. ad cap. 14. part. 4. cons. lit. B. (5) In Conc. quæst. 14. artic. 13. disp. 13. memb. 2. (6) Quæst. 6. Metaph. scilicet 8.

(1) Serry. 7. de Pass. (2) Eiusdem Censuræ meminit Thomas de Lemos Tom. 1. Panop. pag. 288. (2) In April. pro scient. med. 3. par. n. 35. (4) In Pref. 2. Edit. lib. de Rat. stud.

Monte Quirinali. Horæ ternæ singulis diebus in consulatione ponebantur; tempus reliquum legendis doctoribus & Commentariis, quos aliqui manuscriptorum ex Provinciis atulerant, traducebatur. Novem mensium spatium integrum opus ad umbilicum perductum est: duplex scilicet confectus Tractatus; unus de opinionibus seligendis, alter de Scholarum administratione. Uterque subinde ad incudem revocatus, relectusque; omnibus audientibus, & emendatus, ac demum singulorum subscriptione munitus, jubente Generali Præposito, in Collegii Romani Professorum manus traditus est, ut ab iis primum, a reliquis deinde per Societatem Provinciam expenderetur. Anno vertente sub finem mensis Augusti, cum Decembris initio cœpisset, Theologorum deputatorum Conventus solutus est: Stephanus Tucius, Joannes Azorius, Gaspar Gonzales in Urbe relicti sunt, ut scibili desideraretur, eorum, quæ confutata fuerant, interpretationem, vel rationem redderent; cæteri domum quisque ad confutata munia redire.

Speciosam edendi Operis rationem legimus in Tractatu De opinionum defectu, existimationem scilicet Societatis apud externos retinendam, opinionumque stabilendarum necessitatem, ne omni doctrinæ vento circumferretur. Prudens equidem, justumque consilium. At non erat ob id S. Thomæ Theologia mutilanda, sed arctiori religione suscipienda. Quocirca rem observatione dignissimam addiderunt pag. 20. Cum anno superiore, inquit, quidam nostris Patribus, jussu R. Patris Generalis, significasset Illustrissimo Cardinali Sabello, a nostris haberi Congregationem de stabilendis opinionibus, laudaverit illi consilium, & subjicit: Id vero vobis maxime necessarium est, nam ob aliquam libertatem nonnumquam in Tribunali nostro habitus est sermo de doctrina vestra. Cardinali Societatis amico credendum maxime, atque ea potissimum in re, quam ipsum confiteri non designantur.

Præconceptus eo tempore studiorum liber sequenti duntaxat anno in Societate vulgari cœpit Encyclicis Præpositi Generalis Epistolis; ac demum, eo clastro, domesticis Typis Romæ prodiit anno 1586. sub hoc titulo: Ratio, atque institutio studiorum, per sex Patres, ad id jussu R. Patris Generalis deputatos, conscripta. Inter præscriptas ibi Theologicæ Professoribus regulas hæc ordine quinta legitur: In Theologia doctrinam S. Thomæ, ut caretur 4. parte Constitutionum cap. 14. nostri sequantur, paucis exceptis. Tum, que sint pauca illa, declarat in hunc modum: Nostri itaque non cogantur defendere, que sequuntur . . . secundas causas esse proprias, & univoce instrumenta Dei; & cum operantur, Deum in illas primum influere, aut eas movere. Ex quibus perspicue colligas, existimasse tunc primum, utroque factos esse Societatis Theologos, universi Ordinis nomine, Doctoris Angelici sententiam esse illam ipsam, quam deinceps, novo flante Aquilone, alisque commodis intenti, ejusdem doctrinam esse, pernegarunt. Iis quippe selectis Theologis persuasum omnino fuisse, Propositiones illas, Professorum suorum arbitrio permissas; S. Thomæ revera esse, nedum adversus memoratum Correctorem evincit ab eisdem subjecta clausula: In cæteris, que hic excepta non sunt, a S. Thomæ nostri non recedant; verum etiam, ac multo magis, adjecta subinde manifestis, qua factam suis potestatem oppositas sententias propugnandi, inutilibus, ac S. Doctori contumeliosis rationibus obducunt. Inoleandum nostris jugum videretur, si omnia docere cogerentur ex præscripto, nulla reliqua selecta potestate

libere opinandi ullis de rebus. Quin etiam tam severis legibus ingenia nostrorum astringi non debent in omnibus Theologicis questionibus; sed ne iis quidem, quas S. Thomas petrastrat, probabilissimus licet Auctor. Itaque discretis verbis, nec semel affirmavit R. P. Generalis, nolle se penitus inbibere, ne liceret nostris ullis in re a S. Thomæ recedere, Et merito sane: tum ne profiteri sectam aliquam videremur, jurati in verba Magistri; tum quia Constitutionum 4. part. Cap. 5. sequi jubemur doctrinam securiorem, ac magis approbatam, qualis est quidem S. Thomæ Theologia in quamplurimis; non tamen in omnibus. Siquidem ejus quedam pauca licet, sententia discrepant vel a loquendi modo Sanctorum Patrum, vel a communione veterum, recentiorumque Theologorum Schola. Cum præsertim ex occasione novarum hæresium excogitata sint a Catholicis Doctoribus pleraque, non minus hereticis consuetudinibus idonea, quam que S. Thomæ suppeditat: in quibus, alisque id genus, par est, doctoribus aliis anteferre. Huc accedit, nonnumquam, si non omnes, aliquos tamen illustres Theologos sua quadam munivisse rationibus nihil infirmioribus, aliquando etiam melioribus, quam que S. Thomæ suam persuasere sententiam. . . . Quocirca placuit, ut postea aliquot in genere decretis, quedam deinde speciatim vel deservirent, vel relinquere libera, ex iis etiam, que S. Thomæ definit. Accedit alterum, singulari animadversione dignum, ad gratuita Prædestinationis dogma communi Societatis suffragio statuendum, quod pagina 37. de opinionum defectu eodem in libro legere est. Item deservitum est, Prædestinationis nec rationem, nec conditionem esse ex parte nostra. Id ad pietatem parvam pertinere, dicit aliquis: at hanc Augustini doctrinam non modo communiter Theologorum schola jam recipit, sed & Ecclesie Patres per mille, & ducentos circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis, & Responsis Pontificum Romanorum, nempe Zozimi, Sixti, Calixti, Leonis, Gelasi, apud quos Massilienses, Cassianus, Faustus, alique hujus prædestinationis oppugnatore male semper audierunt. Cujus profecto Decreti fidem violatam, neglectamque religionem in Societate nemo non videt, ex quo præsertim tempore Molinæ novitates ebitur.

Librum hunc æger tulerunt viri e Societate primæ notæ. Intercessit Henricus Henricus, id præsertim stomacho ferens, quod in nova edenda Theologia Societatis honor agi diceretur; suæque intercessionis capita post anno aliquot, dato libello supplicii, exposuit Clementi VIII. Pontifici Maximo. (1)

Philippo II. Hispaniarum Regi displicuit immoderata illa de S. Thomæ dogmatibus iudicandi licentia. Librum de ratione studiorum sacris fidei Quæstoribus tradidit, qui in illum uti temerarium, periculosum, jactantia plenum animadverterunt. Sua demum apud Sixtum V. efficit auctoritate, ut illum publicis Societatis usibus interdiceret.

Hujas mihi Auctor est Clarissimus Pagna, (2) Rotæ Romanæ Decanus, rem totam, non in diario quidem Congregationum, sed in sua de iustitiis celeberrimæ Controversiæ narratione, oculis subjiciens. Visto y considerado aquel Libro, de racione studiorum, per bombes graves; y entendido, que havia en el cosas muy peligrosas, en España dizeon noticia del a su Magestad Catholica, que aya gloria. Y dado a censurar, fue dicho por aquellos Censores, que aquel Libro era el mas peligroso, temerario y arrogante, que jamas havia salido en semejante materia; y que si se metia en pratica lo que con-

contencia, causaria infinitos daños, y alborotos en la republica christiana por tres razones principales. . . . Parecio este atrevimiento y temeridad tan grande, que dixeron a su Magestad, que estava obligada en conciencia, a procurar con su Sanidad, que mandasse prohibir aquel libro, de donde podian redundar tantos daños en la Republica Christiana. Hizo su Magestad aquella diligencia con la felice recordacion del Papa Sixto V., el qual vistas las Censuras, que venieron de España, y otras, que se hizieron en Roma, le mando prohibir; ordenando, que no se usasse del en publico, ni en secreto. Hoc est. Cum Librum de Ratione studiorum legissent, ac perpenderent viri graves, multaque in eo periculosam compersissent, Regem Catholicum, cui caelestem sollicitatem appropere, admonuerunt. Ut vero Censura subjectus est, in eam sententiam ab examinatore virum fuit, nullum unquam librum hoc de argumento periculosum, audaciorum, perulantiorum prodississe; damnaque innumera, turbas, ac rixas in Republicam Catholicam alturum, si que statuta prescriptis, executioni mandarentur. Idque triplici de causa. . . . Tanta ejus audacia, ac perulantia visa est, ut Sacre Majestati sue significavit, de officio decesserunt illam, ni suam in promovenda apud summum Pontificem Libri periculosissimi damnationis, auctoritatem interponeret. Egredere cum felicis recordationis Pontificis Sixti V., qui, visis Censuris ex Hispania missis, alisque Romæ editis, librum prohibendum voluit; vetuitque, ne ulli se publico, seu privato usui esset.

Ejusdem late damnationis fidem facit Joannes Mariana Tractatu De erroribus in forma gubernationis Societatis Jesu, Cap. 4., ubi de hoc ipso libello (sermone) habet inquit. Lo que refutado, fue, que las Provincias se refirieron, la Inquisicion se interpuso, y viedo el Libro. Hoc est: Eum in locum, ac statum rediit res, ut dolorem inde Provincia hauserint, Senatus Inquisitionis intercesserit, librumque vetuerit.

Hoc ergo sublato, alter aliquantum emendatior, & a tribus selectis Theologis, Stephano Tucio, Joanne Azorio, & Gasparo Gonzales, secundis curis elaboratus prodiit anno 1590. Totius ideam operis exhibent illa præfatiuncula verba: (1) Vistum nobis est statere, ut nostri in Theologica facultate sequantur S. Thomæ Doctrinam, quam & nostre commendamus Constitutiones, & Academia pene omnes, ut maxime tutam, receperunt. Sed quia divum videbatur, ita S. Thomæ nostros astringere, ut ab eo nulla in re liceat recedere, etiam si opinio contraria valde probabilis, & recepta esset; placuit liberum relinquere, ut alios graves Doctores sequi possent, qui velint, in paucis quibusdam questionibus, que subjecto liberarum Propositionum catalogo continentur.

Id vero ibidem notatione dignissimum, quod cum non ita pridem Sixtus V., Pontifex Maximus Societatis Præpositos serio monuisset, ut eum doctrinam Canonem præfigerent, quem Paterna Institutio postulabat; id se nova illa studiorum ratione executos gloriantur, qua maxime violantur. Dum scilicet sexaginta, & eo amplius Angelicæ Theologiæ quæstiones privatorum opinionibus permisissent; cujus ne vel unam, invitante licet pietate, permittemdam judicaverat B. Ignatius. Ut ut est, fecit superioris libelli adversa fortuna, ut non abfinitis jactura metu idem publica luci subdugendum, & intra domesticos fines continendum, judicaverint Societatis Præpositi.

Demum anno 1594. de nova studiorum edenda ratione, seu verius de superiori recognoscenda,

atque emendanda actum est. Hæc R. P. Generali demandata Provincia fuit in V. Generali Congregatione: atque interim Canone 9. statutum, ut Societatis Professores (2) in scholastica Theologia doctrinam D. Thomæ sequerentur juxta praxim, in libro De ratione studiorum ponendam, & a P. Præposito Generali explicandam.

Suscepti a Societate Consilii conscius Clemens VIII., S. Thomæ doctrinæ juxta Constitutionum præscripta standum, edixit; ejusque iussis obtemperatum est, edito in hac ipsa Congregatione Decreto 56. in hæc verba: Nostri omnia Sanctum Thomam, ut proprium Doctorem, habeant, eumque in scholastica Theologia sequi teneantur; tum quia Constitutiones nobis eum commendant, & Summus Pontifex Clemens VIII. id se cupere significavit; tum quia, cum unius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, que sit ea solidior, aut securior; ut non immerito S. Thomæ Theologorum Princeps ab omnibus habeatur. Verum hanc sibi impositam a Generali Congregatione Provinciam de studiorum ratione explicanda executus Claudius Aquaviva anno 1599., eam tenende Thomisticæ doctrinæ legem circumscriptione temperavit, penesque irritam fecit, ita decernens. (3) Sequantur nostri omnino in scholastica Theologia S. Thomæ doctrinam, eumque ut doctorem proprium habeant; ponantque in eo omnem operam; ut auditores erga illum quam optime afficiantur. Non sic tamen sancto Thomæ adstricti esse intelligantur, ut nulla profusus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipsi, qui se Thomistas maxime profiterentur, aliquando ab eo recedant; nec arcibus nostris Sancto Thomæ alligari, par sit, quam Thomistas ipsos.

Eo, ni fallor, temperamento intelligendum voluit, quod eodem in opere sanxit; Non esse scilicet ad Cathedras Theologicas promovendas, nisi qui erga S. Thomam bene affecti fuerint; eos vero a docendi munere repellendos, qui ab eo sunt alieni. Vel enim Legislatori sibi repugnantem fateri, necessum est; vel certe, ejus iudicio, is non est a D. Thomæ putandus alienus, ut eidem minus bene affectus, qui ab ejus doctrina recedit. Quamquam tamen neglectam fatis in Societate hujusce Decreti religionem, innuit Mutii Vitelleschii Præpositi Generalis Epistola transmissoria, data 4. Januarii 1617., (4) ubi de suis conqueritur, quod ad eas sententias non accesserint, que tutiores essent, que bonis moribus conducere magis, que denique pietatem alere, & professe possent; nec Decreta fervariat, quibus removeri jubentur a cathedris, qui S. Thomæ doctrinam parvi facerent, aut eam corde non præ se ferrent. Vitelleschii verba subijcio, observatione dignissima: Nonnullorum ex Societate sententia, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio libera, non modo periculum est, ut ipsam evortant, sed ne Ecclesie etiam Dei universæ insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio persiciant, ut qui docent, scribuntque, minime hæc regula, & norma in delictis sententiarum utantur: Tucri quis potest; probabilis est; auctore non caret: Verum ad eas sententias accedant, que tutiores, que graviores, majorisque momenti Doctorum suffragiis sunt frequentate, que bonis moribus conducunt magis, que denique & pietatem alere, & professe possunt, non vastare, non perdere. Quoniam vero Constitutiones, Decreta, Regulas probe callent de non promovendis ad cathedras, aut etiam removendis, qui ejusmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere, præ se ferunt, præsertim si novitatum aman-

(1) Extr. in Bibliot. Angel. & citatur a Lemoso in editis r. 1. par. 1. tr. 6. (2) Pagna in 1. Relas.

(1) In Præf. (2) Can. 9. Cong. 5. (3) In Regulis Profess. Schol. Theolog. (4) Inter Epistolas Præpositi. Soc. Jesu.

res deprehendantur, qui nulla sunt ratione ferendi; reliquum mihi præterea nihil est, nisi ut hæc ipsa seruetur, uti maximi res momenti, quam ardentissime possum urgere.

CAPUT III.

Lessus, & Hamelius novam de Divina Gratia Doctrinam Lovanii docent. Hos gravi Censura percussit Academia Lovanensis, & Duacensis, suffragantibus Belgii Præsulibus. Ortum hinc Academiæ inter, & Societatem grande dissidium. D. Thomæ Opera Parisiis videntur.

Vix cœperat in Societate circumferri liber De ratione studiorum, (1) primis Claudii Aquaviva curis elucubratus, e jusque auctoritate munitus; cum statim quoque hæcenus in oculo novitatis fuerat delectati, eas incircumspecte, erectoque supercilio in schollis venditare aggressi sunt.

Hos inter primi in aciem descenderunt Leonardus Lessius, & Joannes Hamelius, Lovanii in Collegio Societatis sacre Theologiæ Professores, annis 1585. & 1586. (2) si scilicet propositiones triginta quatuor, de Scriptura sacra, de Providentia, Prædestinatione, Reprobatione, Gratia, Justificatione, publicis Lectionibus docere, quæ celeberrimæ Facultatis Lovanensis zelum, ac Religionem concitarent.

Delatis itaque ad sacrum Theologorum Ordinem propositionibus, nihil temere, leviterque tentandum, voluit Academia. Variorum in primis Societatis discipulorum quateronem consulendos judicavit, data selectis Magistris hujusce rei provinciam, ut unus, a teriusve discipuli oscitantæ culpa foret, qui dicentium e pulpito Magistrorum dicta minus fideliter exceperent. Ubi vero compertum fuit, consonare omnes, eademque ab omnibus propositiones exceptas esse; Censuram in eas instruxit, seu verius benignam admonitionem, ad eisdem Theologiæ Professores, cæterosque Collegii Lovanensis Jesuitas directam; qua nempe, singulis notatis propositionibus, earumque demonstrata falsitate, ac novitate, suadent meliora consilia; sanioris, atque a Pelagianismo remotioris doctrinæ zelum commendat; majorum exempla, ac potissimum Roberti Bellarmini, qui non ita pridem Lovanii summa cum laude docuerat, ad imitationem proponunt.

Propositiones, in Lessio, & Hamelio a Lovanensibus Theologis notatæ, itæ erant.

1. Ut quid sit Scriptura sacra, non est necessarium, singula ejus verba inspirata esse a Spiritu Sancto.

2. Non est necessarium, ut singule veritates, & sententia sint immediate a Spiritu sancto ipsi scriptori inspiratæ.

3. Liber aliquis, qualis forte est secundus Machabeorum, humana industria, sine assistentia Spiritus sancti scriptus, si Spiritus sanctus postea testetur, nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra.

4. Augustinus definit, quod Prædestinatio est præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Quæ definitio valde bona est, si intelligatur de Prædestinatione hominum, quæ supponit servitutem, & peccatum, & de certitudine ex præscientia, non ex mera præordinatione.

5. Deus, post prævisum peccatum Originale, habuit voluntatem dandi Adamo, & toti ejus posteritati sufficientia media contra peccata, & auxilia ad

consequendam vitam æternam: ergo dat illis sufficientiam auxilium, ut possint reverti.

6. Tota Scriptura plena est præceptis, & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum: atqui Deus non præcipit impossibilia: ergo dat illis sufficientiam auxilium, ut possint reverti.

7. Dicit, Deum quidem vocare omnes ad penitentiam, sed non secundum propositum, & non illa vocatione, quæ est sine penitentia. Respondeo: hoc videtur alienum a bonitate Dei; quia non hoc esset sermo, sed delusorie vocare, si vocaret aliquem non ex intentione, ut convertatur. Augustinus autem, (ut in scholio additur) propositum Dei accipere videtur, ut idem sit, quod illo modo, quo novit illum secuturum.

8. Jubentur omnes baptizari: ergo Deus, quantum in ipso est, vult omnibus dare gratiam baptismi.

9. Hunc locum: Deus vult omnes homines salvos fieri, (3) id est, vult omnes salvos fieri, qui salvi sunt, non videtur exponere Augustinus secundum intentionem Apostoli; & sex amplius argumentis dicta interpretatio oppugnatur.

10. Deus vult dare Christum in Redemptorem pro omnibus, nullo excepto: ergo omnibus preparavit sufficientia media per Christum. Probatur consequentia; quia extenus est Christus omnium Redemptor, quatenus per ipsum dantur omnibus sufficientia auxilia, quibus resurgant a peccatis: si enim non darentur sufficientia, verus non esset omnium Redemptor, quia neque quoad sufficientiam, neque quoad efficaciam.

11. Ut peccator possit reverti, non est necessarium, ut recipiat utrumque auxilium, præveniens scilicet, & concomitans, in actu secundo; sed satis est, ut accipiat auxilium præveniens in actu primo: & tunc vere habet auxilium sufficientiam ad actualem conversionem.

12. Concomitans concursus specialis, seu supernaturalis, ita preparatus est peccatori, sicut concursus naturalis, & generalis preparatus est potentia naturali, v. g. potentia videndi. Et infra: Deus non dat ipsa opera bona, nisi quatenus per gratiam prævenientem dat nobis auxilium sufficientiam, & paratus est dare concursus gratiæ concomitantis, in actu secundo, si volumus.

13. Augustinus ubicumque dicit, nos non tantum gratia egere, quæ possumus, sed etiam, quæ faciamus, intelligendus est de supradicto concomitanti concursu; quod scilicet non possumus facere sine auxilio gratiæ concomitantis: alioquin dictum ejus non esset universalius verum. Nam, ut faciamus, non requiritur efficax excitatio, quæ voluntatem infallibiliter determinet, qualis forte fuit in Paulo, & Magdalena, aliisque nonnullis, dum converterentur; sed sufficit vultu minor, quæ plenissimam relinquat libertatem.

14. Quod dicit Augustinus, eis, qui non sunt a perditionis massa segregati, non adhiberi dicta, vel facta divina, per quæ possunt credere, si audierint ea, vel viderent, cum grano salis accipiendum est; ut intelligatur, non accipere in actu secundo illa auxilia, cum quibus Deus noverat, eos de facto convertendos; quod certissimum est de omnibus, qui non convertuntur.

15. Ad illud, quod capite sexto de prædestinatione Sanctorum objicitur, ubi Augustinus docet, hunc nolle credere, quia ejus voluntas non preparatur a Domino; quod tamen erat necessarium, ut credere vellet: Respondetur, valde improprie dici, quod is, cui sufficienter propostæ est fides, ideo nolit credere, quia ejus voluntas non preparatur a Domino.

16. Est

16. Est quoddam perseverantiæ donum, consistens in quodam speciali auxilio, & protectione, quæ Deus ita protegit, & munit quosdam, ut seve indeclinabiliter, & infallibiliter in gratia perseverent usque ad mortem; quod quibusdam conceditur, ut forte Apostolis post acceptum Spiritum Sanctum, & (ut in scholio additur) iis, qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud est perseverantiæ donum, quod consistit in quodam auxilio, & protectione, quæ Deus ita adest, ut possit in gratia perseverare, si velit: & hoc donum est necessarium ad salutem, & datur omnibus justis immediate in actu primo.

17. Indurati, & excecati habent sufficientiam auxilium ex parte Dei, ut convertantur. Et infra: Omnes infideles semper, & ubique habent sufficientiam auxilium ad salutem ex parte Dei.

18. Omnia loca Scripturæ sacre, quæ significant, esse impossibile, quosdam converti, intelligenda sunt, ut impossibile accipitur pro eo, quod est valde difficile.

19. Partuli ex parte Dei habent remedium sufficientiam contra peccatum, præsertim in nova lege; nam Christus pro omnibus mortuus est, & pro omnibus instituit Sacramentum in remedium peccatorum, neminem excepto. Atque id (quod in scholio additur) ex Epistola 59. D. Cypriani satis aperte colligitur.

20. Quod applicatio talis remedii, Baptismi scilicet, his, vel illis ab aliqua impedimenta occurrentia fiat impossibile, non est Deo imputandum; quia non ordinat, ut non possit applicari, vel ut talia impedimenta occurrant; sed tantum permittit secundum communem cursum rerum, sicut permittit peccata.

21. Omnes infideles semper, & ubique habent sufficientiam auxilium ex parte Dei, seu in actu primo. Si enim facerent, quod in ipsis est, & quantum possent secundum præsentem dispositionem naturalem, vel supernaturalem, quam habent, Deus illuminaret eos, ut credere possent, vel converteri.

22. Qui invincibiliter ignorat fidem, tenetur ad præcepta naturalia, id est Decalogum: ergo habet auxilium morale sufficientiam ad illa implenda; quia Deus neminem obligat ad impossibile: alioquin videtur accedere ad insaniam hæreticorum, qui dicunt, per peccatum originale amissum liberum arbitrium ad bonum.

23. Sententia, quæ dicit, eos, qui salvantur, non efficaciter electos ad gloriam ante provisionem bonorum operum, vel applicationem meriti contra peccatum, videtur maxime probabilis. Tenent autem hæc sententiam omnes Patres Græci, adeo ut communiter dicatur sententia Græcorum. Et in scholio: Quanquam diversa sententia Augustino adscribitur, non puto tamen, esse Augustini. Nam, ubi de hac re loquitur, non exprimit, usum loquatur de immediata electione ad gloriam, an de mediata, quæ est ad gratiam. Item an loquatur de electione absoluta efficaci, an de conditionata, id est, si gratiæ fuerint cooperati; quomodo intelligendæ esse promissiones divinas, docet Concilium Tridentinum sess. 6. Quod si tamen contraria sententia esset Augustini, non admodum referret.

24. Deinde probatur aliis pluribus testimoniis: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. (1) ergo corona potest amitti. Cui responderet Augustinus cap. 13. de cor., & gr., Scripturas ita loqui, non quod corona possit amitti, sed ut homines sint in timore.

25. In statu innocentie, sufficiebat homini ad salutem gratia, quæ poterat perseverare, si vellet: ergo & nunc.

26. Si electio est ad certum gloriæ gradum; ergo

omnia opera justorum debent absoluta Dei voluntate esse præordinata, nec poterunt aliter, nec aliud operari, quam sit a Deo præordinatum: quod est contra libertatem.

27. Martyria, & afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis, sunt excellentissimi media salutis ipsorum: ergo etiam hæc ante omnem provisionem erant præordinata: quod est falsum; quia Deus non est auctor peccati.

28. Ad illud Ezech. Faciam, ut in præceptis meis ambuletis &c. (2) dico, ibi significari, Deum daturum abundantioram gratiam in nova lege, quam in veteri; quæ fiet, ut vestra plures ambulet in lege Dei, quam in lege veteri. Non ergo illud: Faciam, ut ambuletis, significat illum providentia modum, per quem omnes infallibiliter servarent præceptum Dei.

29. Non est voluntas absoluta Patris, ut omnes, quos ipse dat Filio, absolute salventur, ut patet Joannis 17. ubi dicit, quod ex illis, quos dedit ei Pater, perierit filius perditionis, qui se ipsum perdere voluit. Sed voluntas Patris est, ut omnes habeant sufficientia auxilia, & non stet per ipsum, quominus salventur.

30. Hæc sententia Apostoli: Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti, (3) loquitur in genere de omnibus diligentibus Deum; non autem tantum de illis, qui erant prædestinati.

31. Ex his verbis: Jacob dilexi, Esau autem odio habui; (4) per dilectionem non significatur efficax ordinatio ad gloriam, sed ad majora dona gratiæ, quæ non erant ex prævisis meritis. Quia enim ex Jacob nasciturus erat Christus, voluit illi Deus, & ejus posteritati maxima dilectionis signa ostendere, quæ non ostendit patri ejus Esau; ita ut comparatione Jacob, & populi Israeliticæ, Esau, & Idumæi possint videri odio haberi.

32. Si Deus, prævisio Originali peccato, absolute voluntate constituit, hunc hominem excludere a Regno, vel admittere ad Regnum ante omnem operum provisionem: ergo nullis operibus bonis, vel malis poterit avorti, quod decretum est. Nam hæc suppositio divine voluntatis facta est independenter a libertate humana: ergo absolute necessarium est, hominem damnari, posito, quod Deus non videt reprobari; & speciali providentia procurari debet, ut in peccatis moriatur.

33. Numerus prædestinatorum non est certus ex præordinatione, quæ antecedit omnem præscientiam operum.

34. Hæc sententia de prædestinatione, & reprobatione, maxime consentanea est divine bonitati, Scripturarum auctoritati, Patrum testimoniis, & naturalis rationis aequitati, in nulla re omnino Pelagio favens; & quam longissime a sententia Lutheri, & Calvini, & reliquorum hæreticorum nostre tempestatis recedens; a quorum sententia, & argumentis difficile est alteram sententiam vindicare.

Censuram hæc totius Theologici Ordinis nomine composuit Henricus Gravius, Doctor Theologus, ac postmodum Vaticanæ Bibliothecæ Præfatus. Prodiit anno 1587. die 9. Septembris. Decani, cæterorumque Magistrorum auctoritate, subscripsit Andreas Salsenus, ejusdem Facultatis Bædellus, ac Notarius publicus. Hujus varia transumpta ad Belgii Antilitis die eisdem 20. transmissa sunt; ad Mechliniensem scilicet, Rurmundensem, Iprentem, Boscoducensem, Arrebatensem, Namurentem, & Audomarentem: tum die 30. ad Archiepiscopum Cameracensem, necnon ad Academiæ Parisiensem, ac Duacensem: Ac demum die 4. Januarii anni 1588. ad cæteros omnes Belgii

(1) Libellum hunc, jam ab anno 1585, in Societate vulgari capium, encyclicis Præpositi Generalis Epistolis, ante quam ipsis ederetur, observat Franciscus Pegna in laudata Narratione. (2) Ex Censura Lovan. (3) 1. Tim. 2. 2.

(1) Apoc. 3. 11. (2) Ezech. 36. 27. (3) Rom. 8. 28. (4) Rom. 9. 13.

gii Episcopos, & insignia Sedium vacantium Capitula. (1) Fuit etiam sub eodem tempore publicis impensis Academia instituta, ac dotata Cathedra ad Lessianæ doctrinæ confutationem.

Ferit Censura columbas. Verum huic antequam reponeret Lessius, Decanum, totumque Theologicum ordinem suo, totiusque ipsorum Collegii nomine rogavit, ut selectos Theologos designarent, cum quibus coram Arbitris hoc de argumento conferre possent. Id pernegavit Academia, ne dignitatem auctoritatemque suam demittere videretur. Scripto itaque respondit Lessius anno 1588. ineunte, ac stylo quidem amariori. Objectam doctrinæ suæ novitatis, errorisque labem abstergere conatus est; Bellarminum, novis rationibus adductum, a pristina sententia recessisse, respondit, nullo tamen cantatæ palinodiæ producto argumento; utque par pari referret, Academiæ doctrinam, uti Majoribus ejus, Adriano, Driedoni, Ruardo, repugnantem suggessit.

Eodem illo ineunte anno 1588, die 20. Januarii, Lovanienfium Judicium, data in Lessium Censura longe duriori, confirmavit Duacensis Academia; ab Illustrissimis Præfulibus Joanne Hauchino Mechliniensis, Ludovico de Barlemont Cameracensi, Guillelmo Damasi, Lindano Gandavensi sententiam rogata. Censuram, cæterorum Doctorum nomine, & auctoritate adornavit Guillelmus Estius, sua Orbi Christiano fama notissimus, qui nascentem novitatem innumeris Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum momentis exagavit.

Geminis Academicarum Censuris petri, desperatis rebus consulendum, Jesuitæ judicant. Academiæ Trevirensis, & Moguntinæ concitarunt in suæ doctrinæ qualemque præsidium; obfcuri certe nominis Academiæ, in quibus, non triduo, ut de causarum Patronis ajebat Tullius, sed uno mane Doctores Theologi fabricantur. Quam leve, quam elumbe de orta Lovanii controversia judicium tulerint, vel ex uno capite fati liquet, quod illud nullo plane Scripturarum, Conciliorum, Patrum, rationisque Theologicæ momento firmaverint; cum id e contra Lovanienfes, & Duacenses summa eruditione præstitissent. Sed & illud mirandum magis, quod de Censura Lovanienfium judicium tulerint, quo eam tempore minime legerant; sic ut proscriptarum a Lovanienfibus propositionum numerum ignorarint: cum enim essent numero triginta quatuor, sex illi duntaxat annumerantur. *Prodiit superiori anno, inquit Trevirenses, Censura Theologorum Facultatis Theologicæ, qua tanquam peregrinas, offensivas, periculosas, heresiceque vicinas damnant, atque rejiciunt sex propositiones, a Professoribus Societatis Jesu in scholis suis Lovanii doctas, & publice traditas.* Moguntini vero: *Quoniam a Facultate nostra Theologica petendum est, ut sententiam de sex Propositionibus, inter Academicæ Lovanienfium Doctores, & Societatis Jesu Theologos controversis, ferremus &c.*

Sententiam dicere Trevirenses calendis Martii, Moguntini, calendis Junii. Quamquam vero Societatis doctrinam probabilem judicant; Lovanienfium tamen Academiæ dogmata notare non ausi sunt, uti passim moderni Ofiores libentius audent, sed illa perinde probabilia judicant.

Defpectis illis, contemptisque volaticis Germanorum judicis, Lovanienfium, ac Duacensium Censuras Episcopi bene multi, alique viri meritis comprobantur; parumque absuit, quin Synodorum Decretis Lessiana dogmata damnarentur. Hujus rei fidem nobis facit Societas ipsa in Imagine primi feculi. *Adversarius, inquit, (2) nostrum dedecus indefinenter urgentibus, major Episco-*

porum pars, & quedam Collegia Canoniorum, geminis duarum Academicarum Censuris calculum adjuverant. Mechliniensis vero, & Cameracensis Metropolitanæ Synodum parabant Episcoporum, qui dogmata nostra, a duabus Facultatibus damnata, discuterent, eademque toto prohiberent Belgio, tanquam impias Massiliensium, aut Pelagii reliquias; adeoque Societati notam inveniunt heretica pravitatis.

Ita hos in priori Editione de binis Germaniæ Academiis, a Belgis Jesuitis auxilio vocatis, timide modiceque diximus; ne obrestandi libidine calumum acuisse videremur. (3) Verum quia nos Carolus Metzensus, Syndicus Trevirensis, violatæ Academicæ Majestatis reos egit, quod scholæ suæ judicium, tanquam Areopagi decretum, non exceperimus; nonnulla subjungere libuit, quæ & dictis fidem conciliabunt, & nos mitius forte locutos ostendent; donec eam Germanicarum Academicarum, quæ fe majori subinde numero in hæc Auxiliorum controversiam intulere, spartam plenius exsequamur. Lib. 2. cap. 18., & lib. 4. cap. 18.

Primum est, Academiæ Moguntinæ, ac Trevirensis jam ante id temporis in Jesuitarum Discipulinam, & curam traditis fuisse; nec nisi Societatis Gymnasia censei, confessorum graduum auctoritate, ac privilegis communia: Quis idcirco jure omni vetitum erat, in domesticæ Societatis causa pronunciare. De Moguntina enim ita scribentem habemus Jacobum Middendorpius, Procancellarium Colonienfem, lib. 2. de Academicis Orbis, quem anno 1572. Pio V. Pontifici Maximo nuncupavit: *Moguntinam Dietherus Isenburgus Archiepiscopus, circa annum Domini 1482. instituit. Nunc Philosophia, & Linguarum cognitio, ac Sacra Theologia per dominos de Societate Jesu illic traditur: relique discipline parum florent.* Distinguit vero pronuntiat Andreas Mendo, e Societate Jesu, Lib. 2. de Jure Academico, Quæst. 3. *Moguntina Academia, instituta anno 1482. a Diethero Isenburgus Archiepiscopo, Patribus nostre Societatis jam diu tradita est; in eaque Philosophiam, Linguarum notitiam, & Theologiam edocent.* De Trevirensi non ambigunt statuit Franciscus Sachinus Lib. 4. Historiæ Societatis suæ, num. 100. *Joannes a Petra Archiepiscopus Trevirensis Academicam Trevirensis, olim celeberrimam, jam funditus collapsam restituere cogit: ad Societatis homines curam applicat. Quocirca Middendorpius loco jam a me appellato: Trevirensis hæc Academia, antiquissima quidem omnium Academicarum Germaniæ esse, creditur; sed propter varias mutationes, temporisque injurias sere collapsam, nuper prudentissimi Archiepiscopi Joannis voluntate, & munificentiâ, Domini de Societate inflaturarunt; in quos nimirum Academiæ jura translata sunt.*

Alterum est, Theologos pene omnes, quorum suffragis lata judicia muniuntur, Societatis Professores esse, qui, violatis ipsis naturæ legibus, domesticæ causæ judicium affectant, & in partem adversam censuram expediunt; tacita in Chirographis professione Jesuitica, ut suam commodius fabulam ludant.

Tertium est, ipsos Societatis Oratores, qui publicam causam, in altera mox enata de divinis Auxiliis Controversia, adversus FF. Predicatores coram Apostolica Sede tuebantur, hoc idem Trevirensium, & Moguntinorum judicium, leve admodum, atque elumbe habuisse. Cum enim identidem a Dominicanis Actoribus, Belgicarum Censurarum Auctoritate premerentur, alia illi diverticula subibant, ut illarum vim, ac pondus eluderent; nusquam tamen contrarias Trevirensium, & Mo-

Moguntinorum Censuras opponant: quod tamen e re ipsorum maxime videbatur, ut clavum in illis rerum suarum angustis clavo truderent. Scilicet pudor erat, Judicium, ab ipsis Societatis Professoribus latum, in Societatis doctrinæ patrocinium, ostentare.

Quartum est, ea saltem ætate temporum Trevirensis, & Moguntinæ Academicarum studiorum vigorem, ac disciplinam, præ cæteris Germanicis, remisisse: in quibus, ut queritur Academia Parisiensis, studiorum parens Florentissima, *Doctores uno die fabricantur, præcocique inauguratione, fungorum inflar in lucem eduntur.* (1) Ne quis putet, nos præcipitem illam Doctorum feturam, conviciandi animo, Moguntinis, & Trevirensibus objecisse.

Nemo vero Metzenni effugium non ridebit, quo Jesuitarum Academicarum judicium, dictatorio more latum, nullique momentis, ac rationibus confirmatum, excusare nititur: Academiæ scilicet ita nude pronunciasse, *ac Actum reagerent; quod Patres Societatis, quorum causam defendendam susceperant, nihil novi protulissent, quod non aliis in locis, ac etiam Romæ coram ipso, ad quem potissimum Censuræ ejusmodi pertinet, Pontifice doceretur.* Societatis siquidem Professores erroris notaverant Theologi Lovanienfes, quod nova procederent; Pelagianum errorem instaurarent, a Majorum semitis abscederent; & ab ipsa, quam non ita pridem Lovanii docuerat Bellarminus, doctrina deflecterent. Non id ergo compertum erat, sed verius in controversiam vocabatur, an Societatis Theologi nisi novi protulissent, quod non aliis in locis, ac Romæ sub ipsis Pontificum oculis doceretur? Quisquis igitur hoc idem, uti rem notam, atque compertam supponit, eaque de causa a proferendis lati Judicii momentis Academiæ jure, ac merito temperasse, ait, in culpam, ne tyroni quidem condonandam, incurrit: quippe qui contra dialecticæ Leges id ipsum certo supponit, quod in controversiam vocabatur. Certe Lessium novi aliquid Lovanii protulisse, quod sub ipsis Pontificis oculis non doceretur, probat Henriques, Societatis Theologus non ignobilis, qui eum, ob excitatum in Academia Lovanienfium grave scandalum, severam Sixti V. Summi Pontificis animadversionem subiisse profiteretur, Libro de Ultimo Fine Cap. 12. (2)

Lepidius longe multo quod idem subjicit Syndicus Trevirensis, ut nostram observationem elidat, de lato Treviris, & Moguntinæ judicio, quo necdum tempore Lovanienfem Censuram viderant, & damnatarum Propositionum numerum ignorabant. *Sex tantum Propositiones, inquit ille, Censura notandas sibi Germanicæ Academicæ delegerant, in quibus vel casu vereretur: reliquas, quod ad rem non essent, silentio prætermisere.* An eam interpretationem gemini judicii verba præferant, dicant quibus vacuus a præjudicis animus est. Propositiones quatuor supra triginta a Lovanienfibus confixas esse, certissimum est. Si itaque, lectis ex integro, perpensis, & ad crism vocatis Censuris Belgicis, totidem confixas Germani noverant, sed forte, ut operæ parcerent, sex tantum, in quibus rei cardinem verti crederent, notandas elegerant, cæteris silentio missis, quod sibi ad rem non esse viderentur; cur nihil ejusmodi quidquam in geminis judicis significat? Cur summam integram ad certa capita revocant non inveniunt? Sed contra potius, sex a Lovanienfibus rejectas præfatur, sex ab impactis Lovanii notis absolvent, nulla cæterarum injecta mentione; immo omnes fenario numero concludi ajunt: *Omnes sex Professorum Societatis Propositiones?* Et vero, ut iis pro-

Serry Tom. I.

positionibus absolutis, reliquas utpote ex eadem radice fluentes, inoffenso pede doceri posse, arbitrabantur Germani Theologi, aut non. Si primum; postulabat igitur officii ratio, ut id obiter saltem innuerent, ne quis forte Jesuitas, Belgicis Censuris inustus, a Germanis ne dimidiatæ quidem absolutos effutiret. Si alterum; non est, cur adeo de Germanorum suorum judicis gloriarentur, qui propositiones viginti & octo sub Censuram virga reliquissent. Certe cum ne sex illas quidem propositiones, in judicium adductas, distincte dispungant, nec minutatim ad crism revocent, nec peculiare singularum examen instituant sed promiscue dictatoria Auctoritate, brevi pagina rem totam expediunt, easque passim a Catholicis Theologis doceri pronuntiant, atque ita Censura vacare; nihil omnino cause erat, cur propositiones triginta quatuor ad sex duntaxat revocarent, ut vel operi parcerent, vel brevitati confulerent: tantundem enim aur temporis, aut spatii succurrebat, ut triginta quatuor propositiones absolventer explicatæ, atque dilucide. Id ergo compertum, id certum, vellet, nollet Syndicus Trevirensis, Germanos Theologos, ne visis quidem Censuris Belgicis, judicium festinasse; nec sex ex tam multis selegisse, unde cætera fluant; sed Socios ipsos, Lovanii notatos, delectum fecisse, & sententiam de sex duntaxat transmissis propositionibus postulasse. Delectum a supplicibus factum, nedum que diximus probant, sed & aperte significant Moguntini, dum se de sex propositionibus rogatos ajunt. *Quoniam a Facultate nostra Theologica petendum est, ut sententiam de sex propositionibus, inter Academicæ Lovanienfium Doctores, & Societatis Jesu Theologos controversis, ferremus &c.* quod minus vere dicent, si de triginta quatuor rogati essent, e quibus sex præcipuas selegissent. Atque hoc ipsum est, quod obiecti levitatis argumentum. Nec immerito. Equæ enim ratio, quæ forma juris permittebat, ut brevi inspecta lacinia, ab ipsis reis transmissa, de tota Lovanienfium Censura decernerent, & Theologos, a quibus lata fuerat, naso suspenderent? Unde noverant, totius rei cardinem sex illis propositionibus verti, de quibus sententiam rogabantur, si reliquas ignorabant, quæ ne transmissæ quidem fuerant? An forte, quod ita supplices scriberent, seque ad ea capita totam cæterarum propositionum summam revocasse dicent? At imprudenter reis fides habebatur, quos suspicari facile erat, minus invidiosas propositiones, minusque Censuræ obnoxias obulisse, ut illarum absolutionem facilius extorquerent. Quamquam ergo sex illa transmissæ propositiones, a Germanis Theologis absolute, totam cæterarum triginta quatuor propositionum summam re ipsa complecterentur, (quod expendere in presentia non possum, quia nec illas videre contigit, nec illas Decreto suo inferere Trevirenses, & Moguntini) vel ob id unum in levitatis notam incurrerent, quod ita ex supplicum fide posuissent, nec inspecto instrumento judicium festinasset.

Hæc obiter, ad Metzenni Querelam repellendam. Qui plura vult, defensionem a nobis singulariter adornatam adeat, qua Syndici morda-cioris supercilium compressimus, & vulgatum ab eo scriptunculam confutavimus.

Quid de Censuris Lovanienfium, ac Duacensium sentierit Academia Parisiensis, cæterarum omnium caput, & princeps, nullo publico instrumento erui potest. Illam enim, excepto Lovanienfium Scripto, aut deliberasse, aut respondisse, nusquam legitur. Silentium ejus in rem suam vertant Patres Societatis in Imagine primi sæculi: (3) quo titulo, judicent eruditi. Certe, si quid ex silentio

B col.

(1) In Imagine 1. fac. lib. 6. c. 4. (2) Lib. 6. cap. 4. p. 348. (3) Justa Querela.

(1) Traité 1. pour la défense de l'Université de Paris. Chap. 2. n. 3. (2) Vid. Cap. sep. (3) Lib. 6.

colligi merito potest, illam Lovanienſium Cenſuræ aſſenſiſſe potius, quam repugnare, iudicandam erit. Si unquam enim; hic maxime valet Juris Regula: Qui tacet, conſentire videtur. Et quidem, ſi aliter Sorbona ſenſiſſet, exigebat proprii Ordinis dignitas, ut Belgicas illas Academiæ falſi poſtulari, ſaltem dum ſeſe ab iis vocatam in cauſam intellexit, eaſque ſua uti auctoritate cognovit. Duaceniſes enim in prima Leſſii Aſſertionis cenſura, doctrinam ejus de Prædeſtinatione ad Gloriam ex præviſione meritorum ab Academia Pariſienſi jam ante annos 240. damnatam, dixerant. Addiderant in Deſenſione ſua Lovanienſes parte. 2. circa finem, Leſſiana dogmata Pariſios nuper adducta, illinc non multo poſt celeberrimæ Academiæ ſtudio exploſa fuiſſe. Quid itaque, ſi ſe res aliter habuiſſet? Nunquid fervare ſilentia? An non potius publica falſi poſtulatione impoſtoreſ revincere, Sorbona debuiſſet? Quod ſi non egit, uti non egiffe, certo conſtat; Duaceniſium, ac Lovanienſium Cenſuris aſſenſiſſe dicenda eſt. Quidni vero aſſenſiſſet, quæ jam pridem anno 1347. tres illas propoſitiones Joannis de Mercuria, Ordinis Ciſterciienſis, cenſura proſcripſerat? 1. *Quod propter opera alicujus futura bona Deus præordina- vit aliquem ab æterno.* 2. *Quod aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter bonum uſum liberi arbitrii, quem Deus præſcribit eum habiturum.* 3. *Quod non ſic gratis, & miſericorditer Deus prædeſtinavit illum, quem prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris, vel alterius.* Exiit Cenſura ſub finem editionis anni 1550. Magiſtri Sententiarum.

Nec vero mirum, ſi ſenſa ſua ſolemni ſcripto non conſignavit; id etenim injuriæ temporum tribuendum. Tunc quippè triſtiſſimi Septorum (1) dies agebantur, quibus tot inter-inteſtini belli diſcrimina, miſerrimam Lutetiæ fortem lugebat Academia; propriaque tractabat vulnera, non aliena curabat.

Hinc videas deſum Iſaacum Habertium, qui binas Belgii Academiæ conſordii conſilio Pariſienſem invitare ait, ut & ipſa in Socios Cenſuram diſtingeret; ſed indecoram repulſam tuliffe. (2) *Elles invitèrent enſemble la faculté de Theologie de Paris d' en faire autant; mais elle en fit refus.* Neque enim ea mente Cenſura tranſmiſſa fuerat, ut de Belgis exemplum caperent Pariſienſes, ſed ut rerum Lovanii geſtarum conſcii fuerant. Immo ſoli Lovanienſes eo in Pariſienſes urbanitatis officio uſi inveniuntur; & quidem (ſi recte calculum ponas) quatuor ferme menſibus, antequam Duaceni in eorum ſententiam irent, propriamque in Socios Cenſuram diſtingerent: ut plane tot lapſus, quod verba in Habertio deprehendas. Equæ vero Habertio fides, viro medullitus Moliniano, & de diſſidio Lovanienſi, poſt annos admodum ſexaginta, pauca, atque ex occaſione delibanti, nullis rerum geſtarum excuſſis, atque produciſſis monumentis?

Fideliſſimæ repulſæ fideliſſimam rationem ſubjicit Quæſtionum eventilator, Leſſii ſui nescio quem Codicem nobis obtrudens, ex quo brevem hanc laci- niam tranſcripſit. (3) *D. de Baulemond, Archiepiſcopus Cameracenſis Cenſuram Lovanienſem ad Theologos Pariſienſes tranſmiſit. Verum incaſſum: quia Theologi Pariſienſes doctrinam noſtram probant, uti Decanus Academia Collegii noſtri Rectori ſignificavit; qui id ad Patrem Eleutherum ſcripſit, initio menſis Octobris 1587. Papæ quam integræ quam atticæ fidei teſtem! Scilicet Leſſius, Lovanienſis Academiae Cenſura inuſus, producit, ut ſua ipſius doctrina, ac eruditus Theologiſ proſcripta,*

Pariſienſium calculo probata demonſtretur. Sed vide, quam belle iſta congruant. Cenſura Lovanienſis ad Pariſienſes Theologos ab Archipræſule Cameracenſi tranſmiſit: nihil illi ad Lovanienſes, nihil ad Archipræſulem ſcribunt: Uni Jeſuitarum Rectori reſpondent, probari ſibi doctrinæ capita, Cenſuris inuſta: atque id quidem, quod notandum maxime, in eunte Menſe Octobri: unde magis ex præpropere feſtinatione fabulam retegimus; Lovanienſes ſiquidem, ut conſtat ex tabulis, non ante diem 30. Septembris anni 1587. Cenſuram ſuam ad Archipræſulem Cameracenſem tranſmiſerunt. Jam itaque danda mora, ut Lovanio Cameracum deſerretur; quin & otium ſuppeditandum, ut legi ab eo, atque expendi poſſet. Eandem, ſi Leſſio fides eſt, Pariſios tranſmiſit Archiepiſcopus. Et huic ruruſus itineri conſciendo ſpatium concedendum. Dandus demum Theologiſ Pariſienſibus de- liberandi, ac reſpondendi locus. Et tamen, ſi Leſſio credimus, jam in eunte Octobri Doctorem reſponſum, Decani ore exceptum, Eleutherio ſuo per Literas ſignificavit Jeſuitarum Rector. Næ ſi pegæſo volatu Cenſuram circumlatam eſſiſſiamus, rem integram tam brevi ſpatio conſectam habebimus?

Leſſium alio ex capite in mendacio tenemus. Academia quippe Lovanienſis, Cenſuram ſuam anno proxime ſequenti recognoſcens, in ſua, ut vocant, *juſtificatione*, (4) fidem locupletiffimam facit, Leſſii dogmata, Pariſios nuper adducta, il- line non multo poſt celeberrimæ Academiae ſtudio exploſa eſſe. Quæ ſane a commentitio illo Decani Reſponſo, Jeſuitarum Rectori dato, tam longe abſunt, quam diſtant æra Lupini.

Sed nec interiora rimari necesseſt, ut Pariſienſem Academiae a patrocino, ea ſaltem ætate Jeſuitis impendendo, remotiffimam fuiſſe, no- verimus: externam rerum faciem obſervare, fat eſt. Quis etenim nesciat ab anno 1554. ad annum circiter 1612. eam graviffimis litibus cum Societate commiſſam eſſe? Hinc æperima illa, celebratiſſimæque in naſcentem Societatem lata Cenſura ab univerſo Theologico Ordine, poſt quatuor Congregationum maturum examen, die 1. Decembris 1554. cujus ne memoriam quidem ſuperſeſſe velim. Hinc lis altera odioſiffima, ab integro Magiſtrorum Ordine in Societatem intentata anno 1564. cujus instrumenta, mordaciori ſale aſperſa, etiamnum exſtant apud Stephanum Paſchaſum, (5) celeberrimum cauſarum Patronum, qui pro Academia dixit. Hinc & alia non minus acerba lis, ab Academiae Rectori in Jeſuitas excitata anno 1594. cujus vel ſola recordatio Philippum Brietium & Societate ita commovit, ut Antonii Arnaldi, qui tunc Academiae partes egit, dicendi vehementiam maledicendi vehementiam ſuperarit. (6) Hinc demum anno 1611. nova de Societatis Privilegiis excitata querela; qua præ- ritarum litium acerbitas omnis reſtricta eſt, Academia cauſam agente Martierio. (7) In cuſus Oratione iſtud, inſtituto noſtro accommodatiſſimum, obſervare eſt; nimirum Societati inter alia exprobratum fuiſſe ab Academia, quod divinorum auxiliorum controverſiam importune ſuſcitave- rent; ut Inquiſitorum officia FF. Predicatoribus eripe- rent; *Cbe haſterro excitato importunamente la queſtione de i divini ajuti, con fine de carar l' officio dell' Inquiſizione dalle mani de' Dominicani, inquit Alexander Zololius, lib. 9. Hiſtoriarum memorabilium.*

Verum non eſt, cur conjecturis innitatur, ubi aperta ſuppentur argumenta. Recurret de Academia Pariſienſi dicendi locus; (8) atque ex iis, quæ

quæ in cauſa Molinæ geſſit, ejuſdem de Leſſii do- ctrina iudicium probabit facile, quiſquis liberum a præjudiciis animum aſſeret.

Interea viri æqui, bonique viderint, quam fi- denti, & audaci animo ſuis nuper Theſibus ſcrip- ſerit Societatis Theologus Rothomagenſis die 10. Januarii 1698. *Cenſuras Belgicas a Sorbona, cum publicatae fuerunt, improbatas fuiſſe, certum eſt. Subtimidius de Sorbonæ iudicio pronunciaverant Sodales ejus in Imagine primi ſeculi, lib. 6. Non- nihil præſidii ex ejus ſilentio pro domeſtica cauſa repetere, fatiſ illis, multumque viſum erat. Iſte diſſimulatem perumpit omnem, ac veluti certis rei geſtæ documentis inſtructus eſſet, Sorbonæ im- probationem extra omnem dubitationis aleam ponit; quaſi ex oculis Academiae Tabulariſ De- cretum aliquid, ignotum hætenus, cruſiſſet. Tanta eſt quorumdam hominum in venditandis fabu- lis conſcientia!*

Quandoquidem autem Lutetiam, Leſſiane mo- litionis occaſione, divertimus, non ab re fuerit obſervare, fervente Belgico diſſidio, vitiatos Pariſiis D. Thomæ Commentarios in Cantica, & ſpiriſ additamentis inſartos, (1) quo recens ex- cogitata Leſſii paradoxa Angelici nominis aucto- ritate communitur. Aſtutam in Editione Pariſienſi anno 1587. integram laciniam, qua Græ- ticæ efficaciam ex aſſenſu ſuſpenditur, oculis ſubjicit Thomas de Lemos (2) Tomo 4. Panopliæ, Lib. 4. p. 2. Tract. 4. Cap. 16. adjeſta ſequenti anno- tatione. *Anno 1587. quo magna de efficaciam divi- næ gratiæ, & Prædeſtinationis controverſia Lovanii agitari cepit contra Leonarum Leſſium ex Societate a Doctores Lovanienſibus, de qua in iſtis operibus ſermonem fecimus; illo, inquam, eodem anno Pariſiis Textus S. Thomæ corruptus, & reſata verba ſuperadduntur, quæ etiam ipſo vel primo aſpectu, quam aliena a præſati, & modo loquendi ſancti Tho- mæ eſſe, nullus erit, qui non videat; quæ proinde in omnibus aliis Impreſſionibus non inveniuntur. Pariſiis etiam alia corruptum Litera S. Thomæ ſupra Epistolam ad Galatas Cap. 3. Leſt. ad illa verba, Virum de mille unum reperi &c. Quod Romæ, cum de materia Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis tra- daretur, plane oſtendimus, & ex omnibus Manu- ſcriptis, & Codicibus in Vaticano ſervatis, & in Bibliotheca Ducis Aſtens, & Ducis Florentiæ, apertiffime convincimus.*

CAPUT QUARTUM.

Sixtus V. Nuntium Apoſtolicum delegat pro diſſidio Lovanienſi componendo, cauſamque Romam advo- cat, utriusque interin parti indiſto ſilentio.

Res erant eo loco poſitæ in Academia Lovanienſi, dum Octavius Frangipani, Calatini Epicoſcopus, in Germania ſimul, ac Belgio Nuntius Apoſtolicus, prudentia ſua egit, ne ad extrema urgeretur. (3) Archiepiſcopos Mechlinienſem, & Cameracenſem non ita pridem a ſe- renda damnationis ſententia dimoverat, datis Colonia ad ipſos Epicoſtolis die 15. Martii 1588. quibus repugnantium hujusmodi opinionum iudicium definitivum Apoſtolicæ Sedi debitum ſigni- ficabat; Univerſitatem Lovanienſem admonerat, ut Romani Pontificis iudicio cauſam committeret, ſi cum Patribus Societatis concordia iniri non poſſet; iſtoſque viciffim hortabatur, ne adeo eruditæ Academiae Theologos temere provocarent; omnibus demum ſpondebat, ad ipſos ſeſe quanto- cunq; accerſurum, ac juxta Sanctiſſimi Domini Noſtri iudicium ſuborta diſſidia compoſiturum. Die

Serry Tom. I.

autem 17. quæſtionum controverſarum capita Roma miſerat, remque totam cum Eminentiſſimo Cardinali de Monte-alto Literis communicaverat, qui eam cum ſua Sanctitate conferret.

Iſ Apoſtolicus Nuntius monitis æquo animo exceptis, Cenſuram ſuam Lovanienſes, Reſponſum vero ſuum Jeſuitæ eidem ipſi obſtulerunt: quæ duo ad pleniorum cauſæ controverſæ cognitionem præſato Cardinali tranſmiſerat, die Aprilis 28.

Verum necdum iſta Romam pervenerant, imo nec de illis eo tranſmittendis cogitaverat ipſe, cum, exceptis dumtaxat prioribus ejus Epicoſtolis, reque cum Eminentiſſimis S. Officii Cardinalibus communicata, Sixtus V. Pontifex Maximus per Breve Apoſtolicum, diligentiffimo curſore tranſmiſum ſub data 15. Aprilis 1588. eidem Octa- vio Nuntio ſuo mandavit, quid ad componenda diſſidia factu eſſet opus.

SIXTUS PP. V.

„ Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam
„ Benedictionem. Ex Fraternitatis tuæ Literis,
„ ad nos proxime allatis, Controverſas inter Uni-
„ verſitatis Lovanienſis Theologos, & Sacerdotes
„ Societatis Jeſu, in quibusdam ſana doctrinæ ar-
„ ticulariſ ortas fuiſſe, cognovimus. Quæ in re ve-
„ hementer in Domino commendamus præditiſſimam
„ tuam, pietatis zelum, diligentiam, & curam
„ omnem; quam opportune adhibuiſti, ut tam
„ pernicioſo diſſidio occurreres. Cum autem ejuſ-
„ modi contentiones, quarum conſuetudinem nec
„ nos, neque Eccleſia Dei habet, ut ad Corin-
„ thios Apoſtolus ſcribit, (4) perpetuo ſeditio-
„ num Auctore fatana ſuggerente, Eccleſiarum
„ ſciſſuras parere conſueverint; verendum maxi-
„ mepere, eſt, ne damnum exitiale Eccleſiæ Ca-
„ tholicæ aſſerant, niſi conſentium tollantur. Ideo
„ Nos, pro Apoſtolicæ ſervitutis noſtræ munere,
„ tam gravi malo, ne ſenſim latius ſerpat, me-
„ deri volentes, Fraternitati tuæ per Apoſtolicæ
„ ſcripta mandamus, ut Lovanium, cum primum
„ commode fieri poteſt, te conferas, & qua eſt
„ prudentia, ſtudioſiſſime agas, ut earum conton-
„ tionum, ac diſſenſionum finem omnino ſanciant
„ univerſi, ac ſinguli, qui de iſ articulis tam
„ graviter inter ſe diſſident. Quod ſi officium
„ hoc illico exſequi coram non poteris; idem
„ Literis tuis diligentiffime præſtari, Noſtro man-
„ dato urgebis: nempe ut illi, inter ſe diſſiden-
„ tes, ab omni interea decertatione deſiſtant, quo-
„ ad Apoſtolicæ noſtræ auctoritate de eorum con-
„ troverſiſ, ac diſceptationibus mature decernan-
„ mus: præſertim cum id perſuaſiſſimum habere
„ illi debeant, Beati Petri tantum ſucceſſori,
„ Pontifici Romano, licere, doctrinæ Chriſtianae
„ res controverſas definire; alii vero nemini. Ita-
„ que hoc valde curabis, & quam primum effi-
„ cies; ut omnia, quæ earum quæſtionum, aut
„ contentionum ſcripta illi vel univerſe, vel ſi-
„ gillatim habent, tibi tradant, eaque tradita ſi-
„ mul atque poteris, obſignata, ad Nos recta
„ mittas, ut duce, auctoreque Spiritu Sancto, ea
„ definiamus, quorum certam doctrinam eos ha-
„ bere oportet. Quod ſi Fraternitatis tuæ cohæ-
„ rationibus, quas nomine noſtro adhibueris, pa-
„ rere illi recuſaverint; tunc demum poteſtatem
„ Fraternitati tuæ omnem facimus inhiſcendi, ut
„ ab iſce opinionum diſſidiſ, & contentionibus
„ penitus ſe abſtineant, propoſita excommuni-
„ cationis lætæ ſententiæ pœna, & aliis Cenſuris
„ arbitrio tuo, quam te exſequi volumus, invo-
„ cato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſecularis au-
„ xilio,
B 2

(1) Les Barricades. (2) Deſenſe de la Foy Chap. 14. (3) Quæſt. 1. Cap. 7. (4) Parte 2.
(5) Eſtienne Paſquier lib. 3. c. 37. & 38. (6) In Epit. hiſt. ad annum 1594. (7) De la Martieriere. (8) Lib. 2. cap. 26.

(1) Cap. 1. (2) Apud Barhol. Majorum ſub ſento Britannia. (3) Ex Nuntii Apoſtolicæ narratione, ad Card. S. Se verime tranſmiſſa. (4) 1. Cor. 11. 16.

23 xilio, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Speramus autem, illos plane obedientes fore, usque adeo ut tui religiosi, necessariique studiis, atque officii, quod ea in re præsteris, fructus Nobis confect. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Aprilis 1588. Pontificatus nostri anno 3.

Subscriptum

ANTONIUS BOCCAPADULIUS,
M. VESTRIUS BARBIANUS.

E Pistolium addidit Cardinalium Senatus de tuenda fide, in hæc verba.

Illustrissimo, & Reverendissimo Signore, come Fratello. Si sono ricevute due Lettere di V. S. ambedue delli 17. di Marzo. N. Signore resta molto soddisfatto, ch'ella habbia messo silenzio alli Teologi di Lovanio, & alli Padri Gesuiti della medesima Città. E perchè ha data la Lettera sua con li Articoli controverfi alla Congregazione del S. Officio, imporrà loro di nuovo silenzio da parte di sua Beatitudine, frattanto che li sarà scritto come s'abbia da governare. Di Roma 19. Aprile 1588.

Quod ita latine dicas:

Illustrissimo, ac Reverendissimo D., quasi Frater. Bina tue die 17. Martii data, Romæ reddita sunt. Silentium Theologis, & Jesuitis Lovanienfibus inditum probavit maxime Sanctissimus Pater. Quia vero Epistola, Sanctitati Suae inscripta, una cum Articulis controverfi ad Congregationem S. Officii transmissa est, silentium Sanctitatis Suae nomine rursus indices, donec, quod factu sit opus, rescribatur, Romæ 19. Aprilis 1588.

Fuerunt, & alia duo ad eundem Nuntium Apostolicum transmissa diplomata; unum quidem Archiepiscopo Mechliniensi, alterum Lovaniensi Academiae inscriptum.

Colonia versabatur ille, dum ea Apostolica Mandata accepit, una cum adjunctis Sacri Senatus Epistolis. Lovanium impigre profectus die ejusdem 30., superioreque Luxemburgi, ac Trevirorum viam tenens, ad declinanda recti itineris pericula, die 22. Junii adventavit. Concredidit sibi pro Archiepiscopo Mechliniensi Breve Apostolicum eidem ipsi restituit; unaque cum illo, uti in Mandatis acceperat, de diffidio emergenti contulit. Theologiam Academiam, cum Universitatis Rectore, primum indixit die 25. in Collegio Antverpiensi. Comparuerunt Magistri numero duodecim; nimirum Michael Bajus, Cornelius Reinerius, Fr. Petrus Bacherius, Henricus Gravius, Joannes Lensæus, Egidius Vallius, Embertus Everarts, Henricus Cuyckius, Joannes Clarius, Jacobus Janffonius, Jacobus Bajus, & Samuel Loyarts. Iis legationis suæ rationes exposuit; verum diploma Pontificium, ipsidem inscriptum, non exhibuit, quia, cum primum data sibi pro causæ cognitione mandata significaverat, pronam sponderant obedientiam, suæque partes Henrico Gravius, & Joanni Lensæo commiserat, qui causam publicam urgerent. Societatis Professores subinde vocavit Nuntius Apostolicus, sibi que a Sanctissimo commissa provinciæ mandata significavit.

Novit quantocitius Vir prudentissimus, habita cum utriusque partis selectis viris collatione, concordiam frustra tentatum iri. Quare sibi duntaxat ab utriusque tradi postulavit instrumenta, quæ ipsorum juvanda causæ necessaria viderentur, ut, iis Romam missis, judicium ferret Apostolica Sedes. Assensit lubens Academia, obtulitque prima fronte propositiones, a Jesuitis assertas, publice traditas; rogans, ut ii palam profiteri cogere-

rentur, an eas pro suis agnoscere, ac etiamnum tueri vellent, ut, quid ipsa de iisdem iudicaret, postmodum aperiret. Consilium non probavit Octavius; quod ea agendi ratione, Apostolica Sedes judicium de Academia Censura, Societatisque Responso declinari videretur. Quapropter scripta, jam pridem ab utriusque vulgata, Sanctitati suæ duntaxat exhibenda judicavit; ut de utriusque partis doctrina sententiam ferre posset.

Conditione partium assensu excepta, Censuram Theologis Lovanienfibus, Responsum vero Patribus Societatis exhibuit Octavius, interrogans, num utriusque opus suum agnoscerent, & scriptis stare vellent. Steterunt utriusque lubentius. Verum Societatis Responsum communicari sibi, rogavit Academia, quo iudicaret, an esset jam lato judicio firmiter standum. Id ubi animadvertentur Jesuita, æquo jure secum agi postularunt, petieruntque, (casu, quo ipsorum Responso Academiae traderetur, eaque quidpiam reponeret in oppositum) id sibi pariter exhiberi, ut novam posset defensionem adorare. Utriusque pro voto satisfecit Octavius ea lege, ut novis utriusque elucubratis, sibi que concederit scriptis, nihil, nisi Sedis Apostolicæ judicium, quaereretur.

Itaque secundis curis Censuram suam recognovit Academia die 17. Augusti: Lessi Responsum novis consutavit argumentis, pristinaque sententiam copiosiori scripto defendit, cui *Justificationis, seu Defensionis Censurae suæ* nomen dedit; ac de eundem die 3. Septembris Nuntio Apostolico per Henricum Cuyckium, Decanum, & Henricum Gravius, sacre Theologiæ Magistrum, significavit. Publicam illam significationem recognovit & ratam habuit Academia die 6. mensis ejusdem, celebratis, ut vocant, strictioris Facultatis Comitibus. Moguntinenses autem, ad Trevirenses Theologos responsum digna non est; sed uni Henrico Gravius provinciam demandavit eorum jejuna judicia velandi.

Mirari profecto subit, in dubitationem venisse aliquos, num unanimi totius Theologici Ordinis assensu tum Censura, tum ejusdem Defensio prodierint. Indubiam certe fidem faciunt Subscriptionis, Significationis, ac Recognitionis instrumenta. Ea subiungere non pigebit, ut in autographo, authenticisque Censuræ transumptis ad calcem habentur.

SUBSCRIPTIONIS INSTRUMENTUM.

Hanc Justificationem, seu Defensionem Censuræ Facultatis nostræ Theologiæ Lovanienfis ego subscriptus, omnium ejusdem Facultatis Doctorum concordia Judicio probatam esse, & Illustrissimo, Reverendissimoque Nuntio Galatino Episcopo, mensis Augusti die 17. anni 1588. exhiberi jussam, atestor.

Henricus Cuyckius sacre Theologiæ Lovanienfis Decanus de mandato DD. Decani, & reliquorum Magistrorum Facultatis sacre Theologiæ subscripsit.

Andreas Sassenus, dicta sacre Theologiæ Facultatis Bedellus, & Notarius publicus.

Loco ✠ Sigilli.

SIGNIFICATIONIS INSTRUMENTUM.

Die Sabbathi 3. mensis Septembris 1588. exhibitam fuit Reverendissimo Domino Octavio, Episcopo Galatino, ac Nuntio Apostolico, supra scripta Justificatio, seu Defensio Censuræ Facultatis Theologiæ Academicæ Lovanienfis in Assertionem quendam Professorum ibidem Patrum Societatis Nominis Jesu de Scriptura sacra, Preadestinatione, & Gratia Christi, per

Re.

Reverendos DD. Henricum Cuyckium, dictæ Facultatis Theologiæ Decanum, & Henricum Gravius, ambos sacre Theologiæ Doctores, ibidemque professores, nomine totius Facultatis, cum expressa, tam suo, quam dictæ Facultatis nomine, omnium approbatione, que mihi continentur. Acta sunt hæc Lovanii, in Collegio Dalesii, dicti Reverendissimi Domini Nuntii residentia; loco, die, mense, & anno, quibus supra, presentibus ibidem D. Julio Tarsetio J. U. D., ac ejusdem Reverendissimi D. Nuntii Apostolici Auditori, & Luca a Tongheren, Presbytero Daventicensis Diocesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis.

RECOGNITIONIS INSTRUMENTUM.

Post hæc die 6. prædictorum mensis, & anni, Congregati, ac sub juramento convocati in Capitulo Collegiæ Ecclesiæ S. Petri Lovanienfis per R. D. Henricum Cuyckium, uti prædictæ Facultatis Theologiæ Decanum, RR. DD. Michael de Bay ab Aibo, Cornelius Reynerius Gondanus, Fr. Petrus Bacherius Dominicanus, Henricus Gravius Lovanienfis, Joannes Lensæus Belliolanus, Egidius Vallius Brugensis, Embertus Everarts Arendonckanus, Henricus Cuyckius Culemburgensis, Jacobus Joannis Amstredamensis, Joannes Clarius Tongrensis, Jacobus de Bay Ahenfis, Samuel Loyarts Ateborviensis, totam Theologiam Facultatem Lovanienfem, ut asserunt, representantes; specialiter, & sigillatim per me Notarium infra scriptum interrogati, an supradictam exhibitionem nomine prædictæ Facultatis, per supra nominatos Dominos Henricum Cuyckium, & Henricum Gravius facta, ratam haberent; & omnia, & singula, que in dicta Justificatione, seu Defensione, per me illis tunc exhibita, & ostensa, ac per eos recognita, continentur, approbarent: vixit, & clara voce responderunt, se dictam exhibitionem approbare, & ratam habere; illaque omnia, que in dicta Justificatione continentur, etiam approbare, ut que ab omnibus dictæ Facultatis diligenter visa, & mature considerata fuerunt; & de novo, quatenus opus sit, in manibus mei Notarii, uti de ceteris actis hujus causæ, rogati exhibere, & approbare prout exhibuerunt, & approbarent, presentibus ibidem Dominis Andrea Sasseno, dictæ Facultatis Bedello, ac Notario, & Magistris Joanne Gerbeuch, & Andrea Baeten, Clericis respectivo Monasteriensis, & Boscducentis Dioceseon, testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis.

Novam illam Lovanienfis Censuræ Defensionem, Henrici Gravius, & Joannis Lensæi studiis elaboratam, Reverendis Patribus, Balduino ab Angelo, Jesuitarum Lovanienfium Rectori, & Leonardo Lessio tradi jussit Octavius, per Jacobum Peranum Notarium publicum, die 10. Septembris, ut & ipsi propriæ Defensionis consulenter. Inducias ad novam parandam responsum rogarunt illi, & obtinuerunt. Eam die Octobris 17. abolverunt; ac de eundem die Novembris 19. Apostolico Nuntio tradidere.

Interea, dum utriusque in eam curam intenderent, mutuzque defensionis instrumenta pararent. studuit Octavius, quorundam, qui litem privato affectu fovebant, audaciam frenare, atque ipsas etiam partes in officio continere, ne, pendente eorum Sixto V. veritatis examine, de controverfis dogmatibus temere disceptarent. Sequens ea de causa Decretum edidit, summa partium observantia, ac devotione susceptum.

Decretum Nuntii Apostolici.

OCTAVIUS, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Galatinus, Sanctissimus Domini nostri Sixti Divina providentia Papæ V., ejusdemque S. Sedis in Colonienfis, Moguntinenfis, Argentinens, Spirensis, Wormatienfis, Monasteriensis, Ofnaburgensis, Paderbornensis, Leodiensis, Luxemburgensis, & Inferioris Germaniæ, & Belgarum Provinciarum, Civitatum, & locis omnibus, etiam Ducu Clivenfis, & Juliacenfis subjectis, Nuntius cum potestate Legati de latere. Univerfis & singulis, presentes nostri Edicti litteras visuris, lecturis, & auditoris, Salutem in Domino sempiternam.

Et si diversorum hominum diverse sint, discrepantesque sententia; quamdiu tamen fide, & dilectione Deo adherent, etque eorum quasi cor unum, & anima una in uno invisibili Duce, ejusque Vicario Divo Petro, aliisque deinceps Romanis Pontificibus, ejus legitimis Successoribus non solum suprema illa gradus, & officii dignitate, a Christo Domino in eos perpetua concessionem derivata, & corporis, & sanguinis Dominici alimonia, ut ejus spiritu vagentur, qui in uno Ecclesiæ ovili resciendi sunt; sed illa etiam jurisdictionis auctoritate terribili, cujus potestas caelos quoque penetrat, & quidquid in terris est, subiectum habet: cui Christus ad servandam unitatem, cujus ipse auctor est, parendum esse sanxit, ita in Religionis Christianæ officis continendi sunt, ut unam fidem, unum baptisma, unum Deum, ac Dominum venerantes, & colentes, in eodem sensu, eademque sententia concordet, id ipsum dicant, & sapiant, nec ullis doctrinæ diffidiis lacerentur, aut ullo schismate, ullave sacrilega separatione; ab hac unitate Spiritus, pacisque vinculo divellantur.

Cum igitur Coloniae commorantes, quosdam opinionum diffensiones ortas esse, cognoverimus, inter Universitatis Lovanienfis Theologos, & Sacerdotes Societatis Jesu, Lovanii Theologiam profitentes, super quibusdam sanæ doctrinæ articulis, quibus fidelium unitas scindi, ac Christi Corpus lacerari posset, nisi mature, sapienterque occurratur; eas nos S. D. N. Sixto Papæ V., sanctæque Sedi Apostolicæ non modo significavimus, ut tam periculoso diffidio obviam iretur; sed, qua potuimus diligentia, Litteris propriis utramque partem monuimus, obsecravimusque, ut disceptationibus hujusmodi, quoad sua Sanctitas questiones controverfas definerit, tum verbo, tum scripto desisteretur. Quod ut faceremus, Apostolico mandato ad nos directo jussi sumus; præsertim cum nulli, nisi successori Divi Petri, Pontifici Romano, liceat doctrinæ Christianæ controverfas definire. Et quamvis partes ipsæ cohortationes nostras non recusaverint, humileque, ac obedientes coram nobis, Lovanii residentibus, suæ Sanctitati, sanctæque Sedi Apostolicæ se præberint; tamen cum acceperimus, aliquos etiam diversorum Ordinum Regulares, Clericosque Seculares, ac potissimum studiosos, de Assertionibus, de quibus controversa est, inter dictam Universitatis Lovanienfis Theologos, & Sacerdotes Societatis Jesu, sacram Theologiam profitentes, tam pertinaciter pro alterutra parte contendere, & temeritate quadam in suis Concionibus, Lectionibus, Disputationibus, scriptisque privatis alterius partis sententiam damnare, quam S. Romana Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum Magistræ, salu-

26